



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Noui Testamenti exempla diuinum iudicium minitantia, aut postulantia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

ira, sed ex zelo iustitiæ & odio impietatis, profecta videri debent; sicut neque Moyses, quando dixit: *In hoc scietis, quia Dominus miserit me &c. Si consueti hominum morte interierint Dathan & Abiron &c: non misit me Dominus &c.* neque Elias, quando dixit: *Si homo Dei sum, descendat ignis de celo, & deuoret te, & quinquaginta tuos:* neque Elisæus, quando uersos immisit in pueros irrisores.

In nouo quoque Testamento exempla occurrunt. Nam & Christus ipse ab iniurijs Iudæorum, ad Patris iudicium appellans dixit: *Ego non quero gloriam meam, est qui querat, & iudicet:* & S. Petrus, teste D. Gregorio, increpando utriq; coniugi, Ananiæ & Sapphiræ, *vitam abstulit, qui reddidit Thabita orando.* Noluit quidem Christus, qui pati venerat, sæuire: ex hoc tamen, & Pauli Elymam excœcantis, atque Corinthium fatanæ in interitum tradentis exemplo, *voluit, ut intelligeremus, id se potuisse,* ait Tertullianus. Nimirum non aliena est ab Euangelica suauitate seueritas nonnulla, ut Beda docet. Habenda enim est etiã ratio cõmunis in futurum utilitatis, & disciplinæ caussa, obstinatis metus incutiendus. Qua de caussa S. Thomas tradit, Petrum, tanquam executorem Dei, occultum Ananiæ peccatum explicauisse. Prohibet quidem Christus, ne malefacientibus malefaciamus, aut maledicentibus imprecemur, licet tamen quandoque *utrumlibet zelo iustitiæ, & iudiciaria potestate, atq; sine vindicta liuore, sine odio,* ut D. Gregorius obseruat. Sic idem Petrus Simoni dixit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem. Quæ imprecatio & maledictio est prauidentis diuinam, de Simone sententiam & huius reprobationem atq; æternam perditionem, non autem vindictæ studentis,* ait cum Beda Glossa ordinaria. Sic Paulus Principi sacerdotum Ananiæ dixit: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* Vbi Apostolica auctoritate auctori percussione suæ interitum denunciauit: certè, ut Propheta, prædixit: *etenim istud euenit, sicq; defunctus est,* ait S. Chrysostomus. Sic & alio tempore idem Paulus existimauit, Alexandro ærario iniustitiam eius impunitam esse non debere, dixit enim: *Reddet illi Dominus secundum opera sua,* multa siquidem mala Paulo ostendit Alexander, postquam à fide defecit, & Euangelio valde restitit. Denique Sanctorum, pro Christo, occisorum animæ, nonne clamabant voce magna, dicentes: *Vsquequo, Domine (sanctus & uerus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de ijs, qui habitant in terra?*

Eadem ratione, qua pro Verbo interfectorum animæ clama-

Aaa 2

maue

Num. 16. 28.

4. Reg. 1. 10.

4. Reg. 2. 24.

IV.

Ioan. 8. 50.

Act. 5. 5.

S. Greg. 1. 2.

dial. c. 30.

Act. 13. 11.

1. Cor. 5. 5.

Tertullian.

l. de Pudic.

c. 21.

Beda in Luc.

9. 55.

S. Thom. 2. 2.

q. 35. a. 7. ad

2.

Luc. 6. 28.

Act. 8. 20.

Act. 23. 3.

S. Chryso-

mil. 6. de lau-

di. S. Pauli.

2. Timoth. 4.

15.

Apoc. 6. 10.

V.